

LXXX. VII A. ii benedictus per omnia secula seculorum Amen.

29 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 306. f. max. Inest *Johannis de Hesdino Artesii Ordinis Fratrum Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani Commentarius in Librum Job amplissimus*, in *Capita XLIII. distinctus*. Praeit *Index alphabeticus rerum in eo contentarum*. Sequitur *Probemium* apud nos mutilum, incipiensque ab his verbis: *in manibus Christianorum non peruenerunt, ut dicit Jeronimus lib. de illustribus viris, fuit ille philo iudeus nacione, ciuis alexandrinus de genere sacerdotum &c.* suppleri tamen potest ex *Sixti Senens. Biblioth. sancta*, ubi tale statuitur initium: *Usque in tempus sustinebit &c.* licet Codices bini Coll. Navarraei juxta *Oudinum Commentar. T. III. col. 1225.* sic exordiantur: *Quia ut dicit Cassiodorus &c.* Jam Commentarius ipse *scholastica phrasi*, teste *Sixto Sen.* elaboratus hoc modo ingreditur: *Vir erat in terra hus nomine Job. habita diuisione libri accedamus ad textum. Quis fuerit iste Job dictum est. Terra Hus erat quedam patria in terra caldeorum denominata ab hiis qui fuit primogenitus Nachor, ut dicitur gen. XXXII. Sic vero terminatur: Nam quis est alius noster finis nisi peruenire ad regnum, cuius nullus est finis. Ad quod regnum nos perducatur, qui in trinitate personali et una simplici deitate in eternum uiuit et regnat deus*

Praeter autores citatos meminere Nostri, aliorumque ejus scriptorum *Trithemius de Scriptt. eccl. n. 678.* *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. edit. Patav. T. IV. p. 83.* *Foppens Bibl. Belg. T. II. p. 658.* Doctor Academiae Parisinae circa an. 1390. clauit, nomenque patriae ejus ab aliis etiam *Hisdinium*, quin *Isdinium* scribitur.

LXXXI. VII B. ii

88 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 219. f. eleganti manu exaratus et rubricis distinctus continet sine *Autoris* nomine *Exegeseos de Psalmodum Libro Partem I. a Psalmo videlicet I. ad Psalmum LXVII.* Fronti Codicis inscriptum est: *Iste liber est monasterij Sancti Geori martiris Hertzoggnburge Canonorum Regularium.* Praefatio incipit: *Quoniam illo auxiliante sine quo omnis actio et intentio cassa est psalterium incepturi sumus.* Explanatio vero ipsa: *Primus psalmus duabus de causis caret titulo &c.* Ultima verba in Cod. sunt: *Et quia difficilem psalmum ad intelligendum et prolixum tandem deo adiuuante peregimus. inde benedictus deus.* Sed alia manus rationem adjecit, cur singulis Psalmis verficulus *Gloria Patri &c.* subdatur hoc initio: *Iste uersiculus post unumquemque psalmum cantatur. ideo scilicet. quia unusquisque psalmus suae sit ex-*
N 2 bor.